

seipsum implere non poterit; tunc alios ejusdem tamen ordinis et gradus, non tamen inferioris dignitatis, nempe dignitates alias dignitates, canonici et portionarii respective alios canonicos et portionarios, in sua quisque hebdomada, deputare debet, ne graduum et ordinum prærogativæ confundantur (1). Unde cum canonici honorarii, de gremio capituli non esse dicantur, illi per se loquendo veris canonicis, dum absunt, substitui non possunt (2).

Canonici tamen absentes, etiamsi inserviant per substitutum, in his casibus, distributiones percipere non possunt, non obstante contraria consuetudine (3).

## CAPUT XXVIII.

## DE RESIDENTIA CANONICORUM.

§ 1. *Præscriptum Concilii Tridentini.*

Cum canonicorum munus sit, auxiliari Episcopo et officium chorale peragere, ut in præcedentibus explicatum est, sequitur, ipsos residere debere in loco, ubi est Episcopus et ecclesia cathedralis.

Quoad residentiam Concilium Tridentinum sess. XXIV cap. XII de reform. præscribit: *Obtinentibus in cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur.*

(1) S. R. C. 13 Junii 1643, *Fulginaten*; Catalanus in Cærem. Ep. lib. 1, cap. XXVI, § 1, n. IV, Pasqualigus q. 1214, n. 3.

(2) S. C. C. 4 Feb. 1804, *Montis Politiani*; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 257, n. 26.

(3) Fagnanus in 1, p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 82; Reiffenstuel lib. III, tit. IV, n. 176.

Concilium abrogavit quæcumque statuta et quæcumque consuetudinem, etiam immemorabilem, quæ longiorem absentiam, quam trium mensium, permittebant, non tamen derogavit privilegiis foundationum, neque privilegiis a Sancta Sede concessis.

Item ut liquet, non indulsit indiscriminatim omnibus tres menses vacationis, sed coercuit ad tres menses vacationes longiores: non enim processit concedendo trium mensium vacationem, sed prohibendo, ne ultra tres menses quolibet anno ab ecclesiis absint, ut infra § 4 longius explicabitur.

§ 2. *Definitio et divisio residentiae.*

I. Residentia est commoratio in loco beneficii, ad obsequia ecclesiastica personaliter præstanda (1). Quæ definitio hæc duo includit, nempe ut mansio seu commoratio sit moraliter continua seu assidua in loco, ubi est beneficium; alias enim non est commoratio: et secundo ut hæc commoratio sit laboriosa, et fiat causa personaliter præstandi servitii ecclesiastici; quandoquidem si quis actus beneficio annexos non exercent, incassum resideret, nec residere censeretur. Quapropter canones et præcipue Concilium Tridentinum exigunt a canonicis, non modo ut resideant in loco beneficii, sed etiam ut choro stans horis assistant, voce cantuque psallant, omnibusque functionibus satisfaciant (2).

II. Differentia est inter residentiam, ad quam simplices canonici et dignitates obligantur, et illam cui obnoxii sunt curam animarum exercentes; hi siquidem in parochia diu noctuque commorari tenentur: at vero canonici et dignitates, curam animarum non habentes, possunt die noctuque moram trahere, si libuerit extra civitatis districtum, ubi sita est eorum cathedralis, dummodo horis congruis accedant ad ecclesiam, ibique in divinis deserviant; et ita dicuntur residere, interesse et præsentem esse in choro quoad lucrandas distributiones fructusque præbendarum (3).

III. Residentia alia est vera, quando beneficiatus realiter in loco beneficii præsens est, et officium per se præstat; alia est ficta, quando absens ex dispositione juris habetur pro præsentem in ordine

(1) S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 120.

(2) De Angelis lib. III, tit. IV, n. 1 et 13.

(3) Ceccoperius lib. 2, tit. XI, n. 29 et 30.

ad lucrandos fructus, vel etiam simul distributiones quotidianas. Hujus fictionis plura exempla inveniuntur in sacris canonibus : v. g. lib. III, Decretal. tit. IV, c. XV *Ad audientiam de cler. non resid.* statuitur, duos canonicos absentes propter servitium Episcopi, ut præsentes et residentes haberi ad percipiendos fructus præbendæ : lib. III, Sexti Decretal., tit. III, c. *Consuetudinem* legitur, canonicos infirmitate seu justa ac rationabili necessitate aut evidenti ecclesiæ utilitate impeditos, licet absentes, haberi præsentes, et etiam lucrari distributiones quotidianas, etc.

IV. Licet autem canonicorum residentia communiter vera esse debeat, non requiritur tamen, ut sit continua, quæ scilicet continuo ac singulis momentis obligat ad residendum, sed sufficit discontinua, quæ obligat ad residendum certis diebus et horis (1), uti habetur in decisione S. Congregationis diei 4 Februarii 1843 § *Quoad tertiam partem*, ubi dicitur a Canonibus *beneficiatum obligari ad residentiam certis diebus et horis*; et ipse proinde potest alia insuper munera perferre, et etiam alia beneficia possidere, dummodo propter hæc choro deesse non cogitur ut decisum fuit in *Tolentina* 26 Maji 1739, dub. 12, ubi quærebatur. « An » canonicus Rilli... et canonicus Joseph Pompili possint retinere » capellaniam in ecclesia rurali S. Joseph cum onere ibidem celebrandi diebus festis, et respective munus organistæ exercere » in ecclesia S. Nicolai » et dub. 13 « An canonicus Joannes » Rezzi valeat exercere munus confessarii monialium in monasterio » S. Agnetis in casu? Responsum fuit ad 12, *Affirmative, dummodo satisfaciant servitio choralis et oneribus canonicatus.* » Ad 13, *Affirmative, ut ad proximum* » (2).

### § 3. *Canonicorum obligatio ad residentiam.*

Habentes curam animarum, præter alias pœnas, sub peccati mortalis reatu ad residentiam tenentur juxta Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. 1 de reform. Licet autem Concilium sess. XXIV, cap. XII de reform. agens de obtinentibus in cathedralibus dignitates, canonicatus, præbendas aut portiones, reatum peccati mortalis explicite non exprimat; ejus tamen verba et

(1) Pallottini *Canonici* § V, n. 10, aliique ibidem citati.

(2) Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 249; De Angelis lib. III Decret. tit. IV, n. 13 in fine.

forma, quibus residentiam eisdem præscribit, atque pœnæ quas contra negligentes statuit, gravem satis demonstrant obligationem, qua illi ipsi ad residentiam tenentur.

Nonnulli quidem auctores (1) a culpa mortali excusant canonicos, qui sine causa ultra licitam vacationem a choro notabiliter absunt, dummodo velint amittere distributiones, non deficiant in contemptum aut contra præceptum superioris, vel ex eorum defectu non omittatur officium in ecclesia, aut non dicatur cum debita solemnitate : et ratio istorum est, quia nullus adest textus, ex quo mortalis obligatio colligatur pro residentia canonicorum, sicuti clare habetur pro residentia parochorum in Tridentino sess. XXIII, cap. 1, de reform. : tum quia obligatio assistendi choro, oritur ex distributionibus; ergo cum canonici his renuntient, omni obligatione se liberant : tum quia concurrunt praxis multorum, qui nullum sibi conscientiae scrupulum faciunt, non existimantes in eo peccare, sicut etiam nec communiter id notatur. Verum, ut notatur apud Lucium Ferrarem (2) hanc sententiam laxitatem redolere quis non videt?

Unde juxta alios, si canonici ultra tempus permissum notabiliter absint, peccant mortaliter, quia contraveniunt gravissimo Concilii præcepto; non satisfaciunt suæ obligationi assistendi, hæc enim non oritur ex distributionibus, sed ex primaria ipsius beneficii institutione, et clericus non recitans in sua ecclesia ex c. IX. *Si quis presbyter* Dist. 92 depositioni subjicitur (3). Nec excusantur, eo quod distributiones quotidianas amittere velint (4), nec quod in civitate maneant, ubi est ecclesia cathedralis, nisi debitis horis assistant (5). Notandum autem est, supra dictum esse, *si notabiliter absint*, nam si canonicus absit per tres aut quatuor dies ultra vacationem licitam, est communis sententia, illum non peccare graviter (6).

(1) Tamburinus lib. 2, in decal. c. 5, § 4, n. 7; Ceccoperius lib. 2, tit. XII, n. 16, aliique ibi citati.

(2) *Canonicatus* art. V, n. 32 in not.

(3) S. C. C. 1 Feb. 1766, *Lucens, Capellanæ*; 26 Nov. 1853 in *Terracinen-Absentiæ* § *Quoad*, apud Pallottini *Canonici* § V, n. 11; Garcias de benef. p. 3, cap. 2, n. 319-322; S. Alph. de Lig. theol. mor. lib. 3, n. 675, dub. 1; Barbosa de canonicis cap. XX, n. 8, et cap. 40, n. 9-15; Lucius Ferraris loco cit.; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 247, n. 2; De Angelis lib. III Decretal. tit. IV, n. 13.

(4) Barbosa ibidem cap. XX, n. 9.

(5) Piasecius *Praxis* Episc. p. 2, c. III; n. 10; Garcias loco cit. n. 323; Bened. XIV Instit. 107, § VI; Fagnanus in 1, p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 41; Barbosa loco cit. n. 10; Pallottini loco cit. n. 12 et 13.

(6) Ita S. Alph. de Lig. cum aliis, theol. mor. lib. III, n. 675, dub. 1.

## § 4. De tempore residentiae.

1. Canonici de jure communi per totum annum residere tenentur ut dictum est cap. XXV, § 3, nisi statuta debite approbata aut consuetudo legitima vacationem permittat.

Censuerunt aliqui, fuisse impertitum a Tridentina Synodo privilegium universis canonicis, ut tribus mensibus per annum a choro abessent, et tamen muneri suo satisfacerent. Sed longe diversum est, privilegium elargiri canonicis generatim, ut in chorum per tres menses haud convenient; ac decernere, ne plus quam tres menses sibi desumant ob quodcumque statutum aut consuetudinem (1). Apertum est, Concilium in hoc decreto non permittere vacationes, sed longiores quam trium mensium interdiceret, et breviores servandas decernere: nam Tridentini Patres id statuentes, non processerunt concedendo, sed prohibendo, ne alicui quolibet anno abesse liceat ultra tres menses (2). Cum igitur Concilium vacationem non concedat, et canonici de jure communi horis canonicis quotidie interesse teneantur; sequitur canonicos de jure communi per totum annum teneri ad residentiam (3).

II. Si in ecclesiae statutis vacatio concedatur, aut haec ex consuetudine observetur, modo tempus trium mensium in quolibet anno non excedat: ipsa licite servari potest: cum enim Concilium Tridentinum prohibeat, ne canonici ultra tres menses absint; statutum aut consuetudinem, quae non longiorem quam trium mensium vacationem permittit, a contrario sensu praeservat (4).

III. Vacatio terminum trium mensium excedens, per Concilium Tridentinum revocata et abrogata est, nisi statutum aut consuetudo, quae vacationem tribus mensibus longiorem permittit, a Sede Apostolica sit approbata seu confirmata, sive longioris temporis vacatio in limine foundationis apposita et admissa sit: statuit enim Concilium, quod *non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses, ab ecclesiis quolibet anno abesse.*

Dubitatur autem, an consuetudo longioris vacationis, quam trium mensium, introducta post Concilium Tridentinum, admitti possit: licet enim juxta idem Concilium ultra tres menses abesse

(1) Ita Bened. XIV Instit. 107, § VI.

(2) Pallottini *Canonici* § IX, n. 3 et 4.

(3) Vid. Henry de residentia, cap. V, § III, in fine.

(4) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de praebendis c. *Licet*, n. 48.

non liceat, et quaelibet Tridentini capita decreto irritante fulciantur: sanctiones tamen aliorum conciliorum simili decreto irritante praeditae sunt; et sicut nihilominus adversus istas consuetudine contraria praescribitur, sic etiam consuetudinem Concilio Tridentino contrariam per se admitti posse dicendum est, quia omnis lex humani juris consuetudine contraria vinci et tolli potest. Hinc plures auctores (1) admittunt, consuetudinem longioris vacationis, introductam post Concilium Tridentinum, licitam esse posse. Huic tamen opinioni opponi potest, quod consuetudo ista nedum admittenda, sed potius rejicienda sit tamquam abusus contra naturalem regalemque beneficiati obligationem inductus, quique utpote disciplinae choralis corruptela namquam tractu temporis convalescere potest. Praeterea haec consuetudo reprobatur ex praxi SS. Congregationum, quae nomine Pontificis agendo, pro nihilo constanter habent hujusmodi consuetudines contrarias. Quamvis igitur omnis lex humani juris, non excepta Tridentina, vinci possit per contrariam consuetudinem, dicta tamen praxis SS. Congregationum aequivalere videtur declarationi, data occasione, constanter repetitae, qua Summus ipse Pontifex monet, se velle Tridentinas leges inviolatas servare, et se consuetudinibus contrariis non consentire (2). Sic Sacra Concilii Congregatio 8 Augusti 1829 (3) adhuc declaravit, immemorabilem consuetudinem non excusare a residentia in ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus. Et si immemorabilis consuetudo, quae existebat anno 1829, non excusaverit, profecto sequitur, consuetudinem longioris absentiae quam trium mensium admittendam non esse.

Si tamen statutum aut consuetudo, longiorem vacationem quam trium mensium permittens, a Sede Apostolica sit approbata vel confirmata, sive ante sive post Concilium Tridentinum; hoc statutum aut consuetudo per Concilium non est sublata, et licite igitur conservari potest. Sic S. C. Congregatio saepius declaravit, statutum aut consuetudinem a Sede Apostolica confirmatam, a Concilio non esse sublatam neque abrogatam (4).

(1) Louvrex, dissert. XIV, n. 16-20; Engel lib. III Decretal. tit. IV, n. 29; Schmitz, lib. III Decretal. tit. IV, q. 1, aliique. Vid. § 10, hujus cap. n. XI.

(2) Acta S. Sedis vol. XIII, 1881, fol. 553, not. Sacrae Liturgiae Praxis tom. I, n. 10.

(3) In *Ferentina, Residentiae*, § *Apud*, Pallottini *Canonici* § V, n. 27.

(4) *Apud* Zamboni *Canonici* § XI, n. 1; Pallottini *Canonici* § IX, n. 37, 40-45; Benedictus XIV, Instit. 107, § VI; Fagnanus in 1 p. III Decretal. de praebendis c. *Licet*, n. 59-62; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 8; Henry de residentia cap. V, § III.

Item si longior vacatio in limine foundationis sit appositae et admissa, hoc privilegium in foundatione concessum, per Concilium Tridentinum sublatum non est, sicut S. C. Congregatio declaravit 24 Februarii 1576 in *Segobricen.* et 9 Junii 1855 (1). Fundatores in limine foundationum adicere possunt leges quas volunt: quis enim prohibetur fundare canonicatum cum obligatione accedendi ad chorum v. g. semel in anno, semel in mense aut in hebdomada? Si eo igitur modo longior vacatio concedatur, eadem licite servari potest (2).

IV. Si ecclesiarum constitutiones seu statuta longius servitii tempus quotannis requirant, quam novem mensium, v. g. decem vel undecim mensium, ita ut unius tantum vel duorum mensium vacationem permittant; hæc constitutiones seu statuta observanda sunt, nisi Sancta Sedes longiorem vacationem indulgeat: Concilium enim expresse statuit *Salvis earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Hæc sententia est certa et communis (3).

Licet Concilium tantum exprimat, salvas esse constitutiones, quæ longius servitii tempus requirunt; idem tamen etiam dicendum est de consuetudine, quæ alicubi ante Concilium vigeat, qua canonici longiori tempore quotannis inservire tenebantur, ut explicat Fagnanus (4).

V. Si autem statutum vel consuetudo servitium totius anni exigit, tunc juxta Garciam locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa (5); est enim nimis dura residentia totius anni, oportetque maxime juxta fragilitatem humanam indulgeri aliquod tempus ad recreationem corporis et animi. Et ita S. Congregatio Concilii censuit in una Astoricensi, his verbis: Decretum Concilii cap. 12, sess. 24 concedit canonicis absentiam trium mensium, si constitutiones ecclesiæ servitium totius anni requirant. At Garcias male interpretatur Concilii mentem, non veram Sacræ Congregationis sententiam suo errori subjecit, atque ex sua affirmatione

(1) Apud Pallottini *Canonicis* § IX, n. 37 et 38; Fagnanus loco cit. n. 58.

(2) Acta S. Sedis vol. IV, fol. 305 in not.

(3) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IV, n. 119; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 13.

(4) In 1 p. III Decretal. de clericis non residentibus c. *Ad audientiam*, n. 8 et 14; Acta S. Sedis, vol. 3, fol. 467, III.

(5) Garcias de beneficiis p. III, c. II, n. 311; Barbosa de canonicis cap. 20, n. 14; Reiffenstuel loco cit. n. 121.

non paucos fefellit (1). Cum enim Concilium salvas voluerit constitutiones, *quæ longius servitii tempus requirunt* sine aliqua restrictione aut determinatione, sive decem, sive undecim, sive duodecim mensium; sequitur Concilium salvas voluisse constitutiones, quæ servitium totius anni requirunt, sicut quæ requirunt servitium decem aut undecim mensium. Quapropter S. Congregatio Mutinensi Episcopo ita respondit 1573 (2): *Sacra Congregatio censuit, trium mensium absentiam non concedi canonicis ex decreto Concilii sess. 24, cap. 12, si constitutionibus ecclesiæ servitium totius anni absque ulla intermissione requiratur* (3).

VI. Nonnullis capitulis a Sancta Sede ex specialibus rationibus quandoque conceditur indultum choro assistendi per alternativam seu mediam, id est per mediam partem, ita ut singuli alternis hebdomadis inserviant; et aliquibus etiam per tertiarium, id est per tertiam partem, ita ut singuli inserviant una ex ternis hebdomadis in turno per totum annum, exceptis Dominicis et festis de præcepto, tempore adventus et quadragesimæ, octavis nativitatis Domini, paschatis, pentecostes et SS. Corporis Christi (4). Huic methodo choro inserviendi Concilium Tridentinum non derogavit, si illa servata canonici non amplius, quam tribus vacationum mensibus fruuntur (5). Qui autem hujusmodi indulto gaudent, alia præterea vacatione frui nequeunt, quia hebdomada illa, qua quis choro abest, stat loco vacationis (6).

VII. Dixerunt nonnulli, jus esse Episcopo, trimestre vacationis ampliare, v. g. ad quadrimestre (7), quia ut referunt, ita decisum fuit a Sacra Congregatione, quæ Episcopo facultatem concessit, ut singulis annis, si sibi justæ causæ dispensandi videbuntur, canonicis concedere possit licentiam non residendi per alium mensem ultra tres, in eo tamen numero, qui Episcopo visus fuerit, ne cultus divinus deseratur. Contrarium vero tenet Garcias, et sustinet,

(1) Ita Pallottini *Canonicis* § IX, n. 18.

(2) Lib. 1 decret. p. 168, apud Bened. XIV, Inst. 107, § VI.

(3) S. C. C. in *Mutinen.* 1575, lib. 2, decret. p. 128; in *Cremonen.* 16 Sept. 1662, lib. 23, decret. p. 298; in *Corduben* 14 Dec. 1765; in *Signina* 16 Dec. 1837 apud Pallottini *Canonicis* § IX, n. 11, 12, 15, 16, 17; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 120 contra n. 14; Henry de residentia c. V, § III.

(4) Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 103 et seqq.

(5) Acta S. Sedis vol. IV, fol. 306, III.

(6) Pallottini *Canonicis* § IX, n. 25 et 26.

(7) Barbosa de canonicis cap. XX, n. 11; Pichler lib. III, tit. IV, n. 11; Reiffenstuel lib. III, Decretal. tit. IV, n. 118; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 12.

Episcopum licentiam ultra tempus a Concilio permissum nec dare, nec aliquem a residentia in choro excusare posse, nisi in casibus in jure expressis juxta dispositionem cap. unic. de clericis non resident. in VI. Ad decretum autem S. Congregationis respondet, talem facultatem ex speciali gratia et cum causa fuisse concessam, et propterea ad alios Episcopos non esse extendendam (1). Ratio est, quia Episcopus dispensare seu gratiam dare nequit in lege Concilii universalis, qualis est lex residentiae, nisi id ei concedatur.

Quapropter si opus fuerit, ad Sedem Apostolicam recurrendum est, quæ si justæ causæ adfuerint, uti reddituum tenuitas aut imminutio, paucitas canonicorum, aeris intemperies, loci humiditas, distantia ecclesiae, vicinarum cathedralium consuetudo aut indultum, longiores vacationes aliasque gratias concedere solet (2).

§ 5. *Menses vacationis quomodo intelligendi sunt.*

I. Quamvis nonnulli censeant, mensem accipiendum esse pro duodecima, et tres menses pro quarta anni parte; in hoc tamen casu dicendum videtur, mensem continere tringinta dies, et tres menses nonaginta dies, cum Concilium illos absolute determinet, et non exprimat, a quo tempore incipiant, maxime cum possint accipi, non solum continui, sed etiam interpolati (3).

II. Tempus vacationis trium vel minorum mensium, quam Concilium Tridentinum permittit, potest esse tam continuum quam interpolatum, dummodo ecclesia non destituatur debito servitio: siquidem Sacra Congregatio verbis expressis declaravit, necessarium non esse, ut absentia sit continua, sed satis esse, quod dies absentiae quandoque interpolati, trimestre non excedant (4).

III. Canonici bene possunt conjungere trimestre unius anni cum trimestri anni sequentis, nisi scandalum obveniat, aut cultus divinus minuatur (5). Cum tempus vacationis continuum esse pos-

(1) Garcias de benef. p. 3, cap. 2, n. 98, 406-415; Fagnanus in 1 p. III, Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 37; Ceccoperius lib. 2, tit. XII, n. 2 et 3.

(2) Pallottini *Canonici* § IX, n. 93 et seqq.

(3) Garcias de benef. p. 3, cap. 2, n. 306 et 307; Barbosa de canonicis cap. XX, n. 2.

(4) In *Mutinen.* 1575, lib. 2 decret. p. 198; in *Casaten.* mense Sept. 1607, lib. 11 decret. p. 14, apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 142 et 143; in *Mutinen.* 1573, lib. 1, decret. p. 178; in *Aquil.* 17 Junii 1594, lib. 8 decret. p. 92 a tergo apud Bened. XIV. Inst. 107, § VI; Ceccoperius lib. 2, tit. XII, n. 1.

(5) Ita S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 4, n. 129.

sit, et non determinetur, qua anni parte desumendum; sequitur vacationem uno anno in fine, et altero in principio haberi posse, et sic utramque conjungi: modo non obstat ecclesiae consuetudo, statutum aut mandatum Episcopi, quo vacationes interdicuntur tempore adventus et quadragesimæ in solemnitate nativitatis Domini et similium festorum, ut dicitur § 7, n. III.

IV. Qui in medio anni canonicus efficitur, hoc eodem anno a choro abesse non potest, nisi per mensem cum dimidio. Sic qui in fine mensis Septembris sui canonicatus possessionem capit, non potest a choro abesse tribus mensibus sequentibus, et anno subsequenti eodem frui privilegio. Ratio est, quia trium mensium absentia pro rata conceditur canonicis, ut hi diuturno labore defessi, cum ferrei non sint, honesta oblectatione quotannis recreentur, et sic majori cum spiritu ad labores chori redeant (1).

§ 6. *An causa vel licentia ad vacationem requiritur.*

I. Supposita consuetudine vel ecclesiae statuto, quo vacatio conceditur intra limites trium mensium, alia ratio non requiritur, sed canonici recreationis causa abesse possunt. Cum enim Concilium eam vacationem admittat, vel saltem non prohibeat, nihil est, quod huic per se obstare potest (2).

II. Capituli licentia non requiritur ad vacationem (3).

III. Nec Episcopi licentia requiritur (4): ita ut canonici eam petere non debeant (5); et Episcopus absentiam de jure permissam absque sua licentia prohibere nequeat (6). Quod si tamen Episcopus prohibeat, ne canonici absque ejus licentia absint, canonici ad Sacram Congregationem recurrere valent (7).

(1) Ceccoperius loco cit. n. 7.

(2) Fagnanus in 1 p. III Decretal. de præbendis c. *Licet*, n. 53; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 10; Engel lib. III Decretal. tit. IV, n. 26; Garcias de benef. p. 3, c. 2, n. 313-315.

(3) Fagnanus loco cit. Bouix de capitulis p. 3, cap. IV, § 1, n. IX.

(4) S. C. C. 1581 in causa *Abulen.* lib. 3 decret. p. 79, apud Bened. XIV, Inst. 107, § VI; alia apud Pallottini *Canonici* § V, n. 126-131; Fagnanus loco cit. Reiffenstuel lib. III Decret. tit. IV, n. 116; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. V, n. 10.

(5) S. C. C. 12 Maji 1594 in *Senen.* apud Zamboni *Canonici* § XI, n. 5.

(6) S. C. C. in *Adrien.* S. Maji 1649, lib. 18 decret. p. 626, apud Pallottini loco cit. n. 128 et 129.

(7) Pallottini loco cit. n. 136-138.